The *Pithea* Obſervations had none Thermometrical; and thoſe of the Barometer ſeem to be in Inches and centeſimal Parts.

V. De AMBRA GRYSEA. *Auctore* Caſparo Neumanno, M. D. *Chemiæ Profeſſ. Berolin. & R. S. S.*

PARS I.

DUO in Re Medica jure meritoque perquam mirari mihi ſæpè ſubiit 1.) quod certæ ſpecies, quæ ut ſubjecta pharmaceutica per longum tempus, imo quædam per aliquot ſecula in uſum vocatæ fuerunt, ita ut de aliquibus etiam in ſola Europa, non duæ vel decem libræ, ſed Centenarii aliquot quotannis conſumantur, ratione hiſtoriæ naturalis, loci natalis, originis, ubi & quomodo generentur, atque ex quo ortum ſuum trahant, præcipuè de variis uſualibus Vegetabilibus exoticis, e. gr. de Myrrha, quæ ab aliquot Millenariis jam adhiberi conſueverit, ut & de ſic dicto Gummi Animæ, Carannæ, Sanguine Draconis, Semine Cinæ, ac permultis aliis ſpeciebus, quales etiam variæ in reliquis Regnis occurrunt, ad hunc uſque diem non ſatis certò, genuinè, demonſtrative, & indubitatò cognitæ ſint; ſed de quibuſdam nihil niſi diſputabilia, dubioſa, variata, ſibi invicem contradicentia, plerumque tantum ex auditu oborta, quædam ab aliis ficta, & ex cerebello proprio ſibi comparata, indeque ut plurimum apertè falſa, ac de quibuſdam planè

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

planè nulla, de multis vero non ſufficientia documenta præſto ſint: 2.) quod pauciſſima Subjecta naturalia pharmaceutica, materiam medicam conſtituentia, & à tot retrò Seculis uſurpata, quæque quotidiè adhuc uſurpantur, *ratione veræ ſuæ mixtionis & partium ſubſtantialium*, quid propriè & reverà natura ſua ſint, aut quas demonſtrabiles, ſeparabileſque, non tantum viſibiles, ſed præcipuè olfactu ac guſtu perceptibiles, & re ipſa activas partes contineant? aut in qua ſeparabili ſubſtantia & parte compoſiti naturalis (licet à vulgo Simplex appelletur) eminenter characteriſticum, ſpecifico olfactu, guſtu & viribus ſe prodens eſſentiale reſideat, vel à natura poſitum ſit? adhucdum ignorentur, ſed uſque quaque ab hac vel illa fama, dictu, auditu, ſcriptu, & notificatu horum & illorum in aliis mundi regionibus habitantium vel peregrinantium hominum, vel etiam tantum in Europa viventium Mercatorum, lucri cupidorum Materialiſtarum, item Politicorum, qui Rem Medicam ac fundamentalem hiſtoriam naturalem plerumque ignorant, Jeſuitarum, Monachorum, Militum, Nautarum, Piſcatorum, Metallicorum, Hortulanorum, imo etiam quorundam in veræ chymicæ & demonſtrativæ Phyſicæ experientia non ſatis fundatorum Medicorum, plurima pars tanquam certa veritas ſimpliciter credita, ex uno libro in alium tranſcripta fuerit, adhuc tranſcribatur, ac credatur; de quo tamen ſub impartiali & non præoccupato fundamentali examine nihil minus, quam id, quod hactenus dictum, ſcriptum, & per tot annos ad hunc uſque diem creditum fuit, ut revera verum, ſed longè aliud, hucuſque non dictum, non ſcriptum, nec creditum deprehenditur. Quanta inſcitia, ac quam multi errores circa haſce

duas circumſtantias in ſtatu Medico præſto ſint, hoc vix ac ne vix quidem ſibi aliquis imaginaretur, quanquam & ego, pro mea tenuitate, diverſa hujus rei ſpecimina ob oculos ponere poſſem, dum aliquot ab annis, ex quo miſerabilem hunc ſtatum aliquatenus perſpexi, animo meo propoſui, ſimulque non exiguam impendi operam, primò maximè duntaxat uſuales, & pro notiſſimis habitas ſpecies, quantum fieri potuit, cum cura ad manus ſumendi, examinandi, ac perveſtigandi, indeque factum eſt, ut varias veritates erue im, multaſque falſas traditiones & imaginationes, chimæricaſque opiniones detexerim.

Negare equidem non poſſum, mihi, ratione hiſtoriæ naturalis, tanquam primæ ſupra memoratæ circumſtantiæ, in rebus permultis abſolutam impoſſibilitatem obſtitiſſe, *a*) partim, quia in loco natali precipuè Animalium & Vegetabilium exoticorum ipſe non adfui, *b*) partim, quoniam merè æquivocæ, incertæ, & cum eorum elaboratione planè non conſentientes relationes in libris de ipſis reperiuntur, *c*) partim vero quoque, quia in permultis, inprimis ſpeciebus pleriſque mineralibus, nemo earum generationi & modo fiendi non tantum non adeſſe, vel ipſarum geneſin adeo viſibiliter, uti fortaſſis longè magis Vegetabilia, & Animalia, obſervare, ſed etiam nequidem ſatis rationaliter ea ſibi præfigurare ac dijudicare poteſt; quanquam circa totam hanc circumſtantiam facilè quoque excuſari queam, dum huic rei, quoniam tot obſtacula & impoſſibilitates coram me reperi, non ita induſtriè memet applicui, nec hiſtoriam naturalem tanquam primarium meum ἔργον conſideravi; E contra vero, cum providentia divina, naturalis inclinatio, tempus & occaſio, jam à multis annis,

annis, me in propriam, ad veram corporum naturalium inquiſitionem pertinentem officinam, ad Scientiam & Praxin chymicam puto, deduxerit, tanto magis ad ſecundam antedictam circumſtantiam, nempe inveſtigationem mixtionis ſubſtantiarum naturalium, animum ſeriò applicavi, quo ejuſmodi ante oculum poſitas materias officinales, afferantur etiam nobis quoquò velint, ſive ex India Orientali, vel Occidentali, ſive ex Europa vel Africa, ſive ſint Vegetabilia, Animalia, vel Mineralia, ſive appellentur communiter prout velint, antea quam medicamenta, vel alia communi uſui inſervientia præparata exindè conficiantur, ad minimum ipſe, quoad naturalem earum mixtionem, ex fundamento cognoſcere addiſcerem, in qua inveſtigatione utique non nudum viſum ſolum & externum aſpectum (ut alias fieri ſolet) ſed præcipuè circumſpectam chymicam Anatomiam adhibui, idque tantò magis, cum vias per Microſcopia, externas geometricas præfigurationes, pneumaticas hydroſtaticas aliaſque uſuales dijudicationes non modo planè non ſufficientes, ſed ſæpe etiam ſeducentes & fraudulentas, quinimo, ſi dicere liceat, ad inquiſitiones phyſico-chymicas parum utiles aut demonſtrativas, ſed tantum nudè verboſas, & ad alias potius ſcientias, quam ad Chymiam idoneas deprehenderim, prout hac de re jam alio tempore mentem meam explicavi.

Non autem lubet adducere, quid in tot hic publicè tractatis ac evolutis Subjectis trium Naturæ Regnorum, ſingularis & adhucdum incogniti, in libris ſaltem, qui de his materiis hactenus prodierunt, non inventi, detexerim; ſed hoc loco tantum de unica materia ſententiam meam, & quomodo eam ſub ana-

lysi chymica invenerim, exponam; huncque laborem tanquam alterum leve sacrificium Celeberrimæ & Illustri Regiæ Magnæ Britanniæ Scientiarum Societati offeram, præcipuè verò hisce tantum indicabo, quod flagrem cupiditate, ad primariam Illustris hujus Societatis intentionem, utpote quæ præ aliis indies magis magisque ulteriorem natura investigationem molitur, & mea, pro modulo meo, conferendi atque contribuendi.

Hæc autem mea Materia jam est AMBRA GRYSEA substantia pharmaceutica officinalis, de qua à multis retro annis diu multumque disceptatum est, quid propriè sit? & de qua, ante 5, vel 6 annos, relationes quædam ex America apportatæ sunt, quarum contenta firmam sententiam, certitudinemque, quid revera sit, detexisse sibi præsumunt, quas vero relationes, quia illæ cum examine chymico, quod hac cum materia institui, non concordant, pro decisiva accipere nequeo; idque proinde me permovit hasce pagellas conscribere, quo Scrutatores rerum naturalium, qui tam in America, quam etiam alibi vivunt, his tantò magis, ad ulteriorem hujus rei certitudinem inquirendam, incitarem.

Non detinebimur in inquisitione etymologica vocis Ambra, an ex Arabico عنبار Ambaron, vel Græco ἄμβαρ oriatur, & quod protereà latinè rectius Ambarum & non Ambara, multo minus Ambra dici debeat: ejusmodi enim inquisitio nihil aliud esset, quam inneceſſarium, gallicè dictum, *Embarràs*; sed sufficit, quod vocabulum Ambra hodie in toto orbe usu receptum sit, & quivis sciat, quid per hoc intelligatur; nec Homonymiam adducam omnium eorum, quæ ab Ambra nomen acceperunt, dum nempe non tantum

tantum Ambra gryſea, ſed etiam Ambra citrina, Ambra nigra & Ambra liquida in uſu ſunt, quinimo in quibuſdam libris etiam Ambræ ſubalbidæ, item Ambræ t m nativæ quam factitiæ mentio fit, quanquam exinde colligere tantum liceat, quod vocabulum Ambra ſolum, hodiè nihil certi ac ſpecifici determinet, ſed quod neceſſe ſit, cum tot diverſæ ſpecies proſtent, ſemper vocabulum diſtinctivum, quo ea Ambra, de qua dicitur vel ſcribitur, tanquam charactere inſignitur, voci Ambræ addere. Interim hoc memoratu dignum eſt, quod Ulyſſes Aldrovandus in Muſeo ſuo Metallico * effert, quod ſcilicet ſub generali nomine Ambra, *totum genus Succini* intelligatur, nec minus, quod iam Mauritani † *Ambræ impoſuerint nomen Succini*; prout etiam hodiè Ambra à quibuſdam Succinum Orientale appellatur; Sic & à longo jam tempore Succinum ordinarium ſolitum eſt vocari Succinum occidentale, ad differentiam Succini Orientalis, & vice verſa hoc, Ambra gryſea, illud autem, Ambra citrina vel flava; quinimo notum eſt apud multas Europæas nationes, nomen Ambræ abſque additione uſurpatum, nullam aliam Ambram, quam commune Succinum indicare, quæ Obſervatio me ad minimum eò adducit, ut credam, quod ii ex majoribus noſtris, qui duos hoſce titulos, dum nempe tam Succinum commune Ambra, quam vice verſa etiam Ambra gryſea Succinum appellatur, primum introduxerunt, jam tum tempo is verum conceptum de Ambra gryſea, quid nimirum ſit, vel quæ partes mixtionem ejus conſtituant, habuerint.

* Libr. III. Cap. xxi. Pag. 430.
† Petr. Andr. Matthioli Opera Edit. Caſp. Bauhini. Pag. 66.

Hoc

Hoc tantum adhuc de Ambra gryſea, ratione nominis, addam, quod illa quoque Ambra Indica, Ambra Orientalis, Ambra Odorifera, & Ambra vera, communiter autem Ambra gryſea ſive chryſea appelletur; diverſas e contra barbaras ipſius Ambræ gryſeæ diſtinctiones, ut Porambar, Puambar, & Pinambar, item Ambra rufa, pinguis, Selachitica, Sechra, ejuſmodique alia, ſilentio involvam, quippe quæ ad propoſitum meum Scopum nihil utilitatis conferunt.

Non poſſum non mox in principio fateri, quod, ſi tot diverſas & ſemper differentes opiniones perpendo, quas de hoc ex mari prodeunte Subjecto Ambra noſtra gryſea olim foverunt, atque ex parte adhuc fovent, mihi videatur, ac ſi memet ipſum amplo mari vel planè ejus abyſſo concrediturus, ibique certam concluſionem ex tam multis incertis relationibus & præfigurationibus formaturus eſſem; nam proculdubio perpaucus erit earum rerum in mundo numerus, quibus tot differentes modi originis & nativitatis afficti ſunt, quam huic Subjecto, tantum enim abeſt, ut contenti fuerint, quod alius Regno Vegetabili, alius Regno Animali, & tertius Regno Minerali, idque rurſus variis mutatis modis, adeoque omnibus tribus conſuetis Naturæ Regnis illud attribuerit, ut potius alij planè Regno Aëreo id adſcripſerint, imo ſunt, qui his Regnis non contenti, adhuc plura fingunt, dicentes: Ambram gryſeam ad nullum ſupra dictorum Regnorum pertinere, ſed ad Regnum marinum; quanquam univerſum mare cum toto ipſius Suppellectili Animalium, Piſcium, Conchyliorum, Plantarum, Lapidum, Aquarum, Salium, & quicquid in ſe continet, commodè ad tria ordinaria Naturæ Regna, puto Regnum Minerale, Vegetabile & Animale, abſ-

que

que ulla contradictione vel dubia prolixitate dispesci potest, adeoque & hæc ex Pelago prodeuntia ejusmodi extensionibus atque distinctionibus planè non egent.

Omnes hæ differentes, partim miræ, si non ridiculæ, opiniones in variis Scriptis consignatæ reperiuntur, e. gr. in Cæsalpino, Monarde, Hernandez, Monconys, Erasmo Francisci, item, Chevalier, Wedelio, Pfeiffero, Metzgero, Oelven, & præcipuè in adeo operose collecta Historia Ambræ Justi Fidi Klobij, ut & in multis aliis, quos hic adducere non modo nimis prolixum, sed paucæ etiam aut nullius utilitatis, adeoque tædiosum potius foret; Interim, ut in fine tanto certiorem conclusionem formare possimus, necessarium nihilominus duco, eos paucis, & quasi summatim hic attingere, ubi tamen in apertè absurdis non diu morabimur, in magis probabilibus verò & à permultis Viris receptis creditisque opinionibus, etiam aliquatenus meam (si non palàm in oculum, saltem in animum facilè incurrentem) antithesin, tandemque proprium meum assensum, cui opinioni adhæream, referam: ubi simul mihi proposui, hunc opinionum numerum, quid Ambra sit, & unde proveniat, secundum sic dicta diversa Naturæ Regna coordinare, adeoque cum Supremo excelsoque, Regno scilicet aëreo ordiri, & ab hoc sensim sensimque humiliora ad subterranea usque petere ac me demittere.

Pro Regno Aëreo unus tantum (quantum sciam) militavit, nomine Oelven, hic nempe Ambram *pro Meteoro* habuit, seu pro ejusmodi re, quæ in aëre generetur, atque hanc, quamvis apertè falsam hypothesin variis rationibus suffulcire annisus est, quæ vero

vero nihil nisi ventum & aërem spirant ;; Cumque hæc opinio vel à solo, interdum ad pondus centum librarum excurrente, pondere, à substantia & mixtione partium essentialium Ambræ gryseæ sufficienter labefactetur, hinc operæ pretium non erit, huic diutius immorari, sed eam verè simplicissimam habeo, præsertim, cum ipsa quoque jam Anno 1707 apertè refutata fuerit.

Post hæc permulti Regnum intrant Animale, ita tamen, ut Regnum Aëreum certo respectu non planè derelinquunt, hi nempè quærunt ac statuunt, Originem Ambræ gryseæ à Volatilibus seu in Aëre volantibus creaturis provenire, quanquam hoc iterum cum notabili quadam differentia, quæ in duas eos dispescit classes : *a*) Quarum prima, Ambram gryseam esse *Fimum avium*, perhibet, ad quam opinionem exindè seducti sunt, quia in Ambra sæpius exigua avium rostra, vel parvæ ungulæ, vel earum saltem particulæ reperiuntur; Quinimo describunt ipsam avem, à qua Ambra proveniat, quod nempè magnitudine anserem æquet, pulcherrimas plumas atque maculas habeat, cujus nomen, linguâ Maldivicâ, Anacangrispasqui, & linguâ Madagascarica Aschibobuck audiat. Ferdinandus Lopez de Castagneda, * ut & alij statuunt, quod avis hæc varias fragrantes herbas comedat, exindeque oriens preciosum stercus super rupes ac petras in & circa mare deponat, quod interdiu à sole digestum atque maceratum, noctu vero à luna depuratum, adeoque ab utroque luminari cœlesti in Ambram gryseam maturatum, præparatum & perfectum redditum, deinceps procellosa tempestate à fluctibus maris ab-

* Rerum à Lusitanis in India Orientali gestar. Scriptor, Lib. IV. Cap. xxxv.

lutum

lutum in mare natans deferatur, tandemque 1.) vel ita, ut à rupibus ablutum eſt, ad littus appellatur & ad oras projiciatur, 2.) vel etiam à Cetis deglutiatur, qui tamen illud, cum digerere non poſſint, utplurimum brevi rurſus evomant; (*b.*) Altera autem claſſis alatæ opinionis, cui præprimis Denis *, Monconys †, Lemery ‖, Et Pomet **, Si non plurimi ex Gallica natione adhærent, Ambram gryſeam provenire ait ab inſecto quodam, & quidem ab apibus, eſſe ſcilicet *Favum Apium*, conglobata apiaria, & cereas cellulas: utrique in deſcriptione nominati ferè iiſdem utuntur verbis, tribus tantum immutatis literis, ita ut quis pro vitio typographico ea habere poſſet, illi enim aiunt: eſt Fimus avium, hi vero: eſt Favus apium; Claſſis hæc in permultis imo plurimis circumſtantiis cum priori, nempe in puncto eluitionis à petris & rupibus, digeſtionis & coctionis ſolaris, &c. concordat, tantum quod hi apes, illi aves, hi excrementum cereum & melleum, illi ſtercoreum, utrique tamen Animalia alata ſpecificent; ubi poſteriores, pro confirmanda ſua hypotheſi, non quidem lunam, ſed modò ſolem in auxilium vocant; Formale Opinionis illorum eo tendit: degere ſcilicet certum quoddam apium genus in illis locis, in quibus Ambra gryſea ordinariò reperiri ſoleat: has apes exſtruere alvearia ſua ſuper rupes ad & circa

* Rec. des Memoires & Conferences ſur les Arts & les Sciences 1672. M. Aug. Pag. 222, & ſ. it. Mediſeri Coſmograph. Tom. I. p. 101. it. Ejus deſcriptio Inſulæ Madagaſcar Cap. vi. pag. 43. it. Odoardus Barboſa, it. Andr. Tevet & Franc. Belloforeſtus.

† Monconys in Itinerario ſuo Edit. Pariſ. en Suite de la II. Partie, p. 143. item Edit. Londinenſ. pag. 71.

‖ Traitè Univerſel des Drogues ſimples, pag. 34.

** Hiſtorie generale des Drogues, Part. II. Lib. I. pag. 57.

maris littora (alij ſubtilius id proponunt, dicentes: Apes alvearia ſua non ſupra ſed infra rupes, ſcilicet in cavernis rupium exſtruere) unde procellæ maris illa eluant, eodem modo ut præcedentem Fimum avium, quæ poſteà à continua fluctuum agitatione, ab accedente aqua ſalſa, & cooperante ſole ita digerantur, attenuentur, torreantur & alterentur, ut tandem Ambra evadat, ſubque hac forma tum ad littus ejiciatur; hujus opinionis aſſeclæ eam adhuc ſtabilire nituntur per albam iſtam tenacem & viſcoſam ſubſtantiam, quæ plerumque ex Eſſentia Ambræ ſeſe præcipitare ſolet, quamque cereum quid eſſe perhibent.

Quod autem utraque opinio tam de Fimo Avium, quam Favo apium falſa ſit, patet ex ſequentibus circumſtantiis, quæ hiſce contradicunt: 1.) Sufficiens copia Ambræ gryſeæ reperitur iis in locis, in quibus nihil quicquam deſcriptarum avium & apium videre aut reperire licet, 2.) etiam ubi paucæ vel nullæ rupes aut petræ viſuntur, 3.) vel ubi ſaltem præſentes petræ & rupes antedicti ſtercoris avium, vel apiariorum expertes ſunt.

Quod autem in ſpecie opinio *de Fimo avium* falſa & erronea ſit, apparet porro ex ſequentibus: 1.) Eæ avium partes, quæ interdum in Ambra gryſea reperiuntur, non ſunt roſtra anſerina aut pedes, ſed leves tantum, atque perquam teneræ particulæ 2.) Neſcirem ego, qua ratione roſtra & ungulæ aliaque ſimilia cæterarum etiam avium, in corpus vel ſtercus antedictarum, anſeres magnitudine æquantium, avium, ut putant, ambriferacium, tranſire poſſent, 3.) Fragrantes herbæ comeſtæ nullatenus ſtercus fragrans reddunt, & hæc opinio tam abſurda mihi videtur,

detur, quam historia illa de pabulo porcino, ubi Dominus porcorum jussit, horum pabulo Caryophyllos aromaticos & piper immisceri & porrigi, quia hac ratione non opus foret, ea aromata farciminibus addere, si porci mactarentur, farciminaque exinde conficerentur 4.) Contrariatur experientiæ universali, quod Sol digestione sua ejusmodi excrementis odorem conciliet fragrantem, è contrario movet potius ac promovet putrefactionem, mediante qua non odor fragrans Ambratus, sed semper nauseosus ingratus foetor producitur, præcipuè cum multa mollioraque excrementa conjuncta sint, prout sæpè grandes & viscosæ adhuc Ambræ massæ repertæ fuerunt; vel Sol etiam extrahit ac emovet fragrantes particulas, si ipsi minora & sicciora excrementa, uti multarum avium fimi sunt, occurrunt, quæ sæpius irradiat, ita ut ea tandem planè exsiccata, macræ terræ adinstar, apparere soleant 5.) hic avium fimus in mari à fluctibus, si non maxima ex parte solveretur, in minutias saltem divideretur & divelleretur, ut ut etiam radii solis ac lunæ quam diligentissime eum irradiaverint, quanquam 6.) Fluctus vix semper ad illud usque tempus expectaturi sint, donec fimus à sole & luna prius satis coctus ac digestus fuerit, sed certò tam recentia excrementa seu fimum avium, quam putatitiè digestum, abluere possent, qui recens tanto magis in aqua se dissolvi atque dispergi pateretur, unde autem tum adeo notabiliter magna, interdum quadrans, dimidium, imo totum Centenarii pondus æquantia, adhæc uniformia & satis solida Ambræ frusta oriri possent? Qua ratione tanta frustorum magnitudo & Ambra ipsa cum fimo, qui in aqua tam facilè se solvi vel saltem extrahi

 patitur,

patitur, convenire valet? 7.) Incolæ, Piſcatores & Nautæ, capturæ Ambræ operam dantes, neſciunt ejuſmodi aves & excrementa, 8.) Si hæc concluſio ſequeretur: Quia avium oſſicula, roſtella & ungulæ in Ambra gryſea reperiuntur, ergo Ambra gryſea quoque eſt fimus avium, tum hic interrogo primò: Quis unquam audivit, aves tota roſtra, pedes & ungulas, vel ejuſmodi noſcibiles avium partes per alvum ejicere? deindè appono, ſi prior concluſio ſequeretur, affirmare etiam poſſem, quod Ambra ſit fimus Concharum, Sepiæ ac aliarum, dum itidem tam variæ Conchyliorum quam avium partes in Ambra reperiuntur, 9.) contradicit huic opinioni Subſtantia & naturalis mixtio, imo denique chymica analyſis Ambræ gryſeæ, dum nullibi veſtigium excrementi inveniri poteſt; ut alias contradicentes circumſtantias jam prætteream.

Et ſic etiam in anteceſſum opinio *de Favo Apium* ex variis ante adductis refutari poteſt, quod falſa ſit: 1mo) enim ejuſmodi Apes & Alvearia itidem, ut antea ſub N° 7. de fimo avium adduxi, à pluribus hominibus in iſta regione obſervata ac viſa fuiſſent de quibus tamen nemo, nec in Aſia, nec in America, quicquam notavit, adeoque ſolus is eſt noſter Denis atque Monconys, quique gratuitum his aſſenſum præbent; 2do) & poſito, ſi aliquot centena millia Apiariorum ſeu alvearium ſupra & infra rupes vel alio quoque modo juxta mare eſſent, cum tamen pluvia ac procelloſum mare apibus perquam infeſta & noxia ſint; poſito quoque, quod totum mellificium, ſeu maſſæ illæ in mare provolvantur; quis vero crediderit, mel hoc in ſuis cellulis & capſulis tum ſemper permanſurum eſſe? vel ſimpliciſſimo enim ruſtico notum eſt, quod mel

in

in aqua ſolvatur, vel in aqua ſenſim deliqueſcat, licet etiam immotum in aqua maceratum jaceat, quanto magis vero, ſi ejuſmodi mellificia continuò moveantur, jactentur, eluantur, & indeſinenter cum aqua coagitentur, uti procelloſum mare, notiſſimo modo, ſolet, unde hæ mellis cellulæ brevi tempore inevitabiliter vacuæ, & mellis expertes appariturae eſſent, mel autem ipſum à maris aqua imbiberetur, 3tio) Quod ſi autem teneræ illæ cellulæ melle ſuo privatæ fuerint, tum reſidua maſſa non adeo firma eſt, ut fluctibus maris ejuſque perpetuo motui reſiſtere, ſed potius niſi planè divulſa & diſpulſa, ſaltem in multas particulas dilacerata, per conſequens ab hoc motu nullatenus ſolidior, firmior, compactior, multò minus conjunctim in magna uniformi maſſa, ſicut Ambra eſt, afferri poſſet, 4to) Si vero quis, nulla hujus habita ratione, tamen inſiſteret, elutas has apium cellulas nihilominus fluctibus reſiſtere, quod etiam facilè in ipſius gratiam largiri poſſem, ſed tum quoque ſemper in eodem ſitu, vel in uno eodemque ſtatu & habitu ſe invicem continerent, conſequenter non adeo firmam, compactamque maſſam formare poſſent, ſed conſtanter ceram celluloſam, vel tabulas foraminatas repræſentarent: Ubi vero reperiuntur in Ambra ejuſmodi partes, quæ figuram excavatarum & ordine poſitarum apium cellularum ſiſtunt? Recordor equidem, quod Borellus *, Qui ratione originis Ambræ huic quoque Sectæ addictus fuit, regerat, has mellis cellulas ſeu domicilia apium poſtea in mari rebus variis repleri, ſicque mellificium æquale ac firmum reddi, verum & hæc commentatio purè eſt commentitia,

* Petr. Borell. Obſervat. Med. Phyſ. Cent. IV. Obſerv. 66.

mere

merè ficta, insufficiensque effugium; Nam primò cellulæ hæ cereæ tamen cera permansuræ essent, certè in pelago nulla cera replerentur, & secundò nemo hominum adeo erit stupidus, ut sibi imaginaretur, cellulas istas casu fortuito in pelago cum Ambra gryſea expleri; unde enim Ambra tum proveniret? cum tamen ab his ipsis apibus existere credatur, vel qualis alia materia illa esse posset, quæ ex mari, propriô instinctu semet separaret, in his cavitatibus sedem sibi figeret, & tum Ambra fieret? Si hoc ita eveniret (quod tamen impossibile est) tunc id ipsum etiam opinioni illorum rursus contradiceret, quippe quæ Originem Ambræ *tantum ab Apibus, & à nulla alia re*, deducere vult: existimarem proindè, si quoque cellulæ mellis in suis tabulis vel massis in mari circumnatarent, & revera cum alio quopiam implerentur (quod tamen planè nondum probatum est) materiam hanc implentem non unius sed variæ tam indolis.quam substantiæ futuram esse, prout nempè hoc vel illud forte fortuna ibi nidularetur. Quam varium & multiforme id futurum, ibique se immixturum esset? An hæ omnes diversæ substantiæ sensim in veram Ambram gryseam converterentur? O miras imaginationes! Denique si etiam hæc casu irrepta peregrina revera Ambra fierent, tum (ut jam ante dixi) ea rursus non ab apibus provenirent, præterea celulæ quoque cereæ adhuc permansuræ essent, ut cognosci & videri possint, 5to) Quod si alius objiceret, ceram à calore solis in unicam massam conglobari, huic respondeo: (*a*) ex experientia hoc non apparet, si apium cellulas soli expono, ipsasque in eo digero, vel ullo alio modo flecto, verso & tracto, (*b*) posito quoque, ceram hoc pacto conglobari, tum tamen cera, simul-

que

que aſpectu uniformis eſſet ac permaneret, quæ ſingula tamen cum Ambra gryſea, illius varietate, aſpectu, & relatione non concordant, 6to) Cera accedente flamma candelæ in & per ſe nunquam flammam concipit ante ſui liquefactionem, quod vero Ambra gryſea facit, 7mo) Cera & mel ſpecificum ſuum odorem continent atque retinent, qui cum odore Ambræ planè non convenit, 8vo) denique tota hæc claſſis vel per ſolam Chymiam rurſus convinci poteſt, ſiquidem in examinatione Ambræ ne veſtigium quidem alicujus melleæ vel cereæ Subſtantiæ inveniri aut demonſtrari potuit, nec ipſe D. Lemery * per albam illam & viſcoſam materiam, quæ in Eſſentia Ambræ præcipitatur, ſi modo accuratius eam examinabit, probare poterit, quod cera ſit, prout ille exiſtimavit, opinionemque ſuam cum ea maximoperè ſtabilire voluit. Dr. Kæmpferus, † qui ipſemet in India fuit, aperte his hominibus contradicit, præcipuè, ſi craſſam illam circumſtantiam adjiciunt, Ambram fuiſſe repertam, in qua crudum mel adhuc exſtiterit, ait enim, " Fal- " luntur omnes recentiores Gallici Autores, qui hac " in re Deniſium ſequantur".

Nunc quidem & alteram opinionem, qua Ambra alio rurſus modo *pro Animali producto* habetur, quoniam circa Regnum animale jam verſor, adducere deberem, verum cum hæc ejuſmodi creaturas concernat, quæ in mari vivunt, ac quidam horum ſeparatum Naturæ *Regnum, nempè Marinum*, quanquam abſque ulla neceſſitate, forment, & ipſemet antea dixerim, quod univerſas opiniones à plaga ſuperiori, ſcilicet ab

* Loco citat. & in ejus Curſu Chymiæ.

† Engelb. Kämpferi Amœnitat. exotic. pag. 632, 633, 634.

aëre

aëre inchoaturus, indeque gradatim profundius descensurus sim, hinc omnia ea, quæ ad mare pertinent, adhuc paulatim reponam, ac prius in terram me demittam, illas opiniones, quæ Regnum Vegetabile concernunt, paucis examinaturus.

Sylvaticus * primum, Ambram gryseam *Gummi* esse, inquit; quæ opinio verò, absque ulla prolixitate, tantum ex mixtione & partibus constitutivis Ambræ, statim funditus evertitur, quia Ambra nequidem ut Gummi-resina, de qua saltem aliqua pars in aqua se solvi patitur, multò minus autem ut purum Gummi, quod totum in aqua solvi debet, sese monstrat: apertè potius contrarium in Ambra apparet, adeoque nihil Gummosi hîc subest.

Alij volunt, Ambram gryseam esse *Resinam* † vel *lacrymam balsamico-resinosam* certæ cujusdam (ut perhibent) sed adhucdum incognitæ Arboris, ex his arboribus, quippe quæ proximè ad mare, vel oras littoris crescerent, destillare & defluere illam resinam in mare, in quo circumagitata, aqua salina imbibita, simulque à Sole digesta, tandem in veram Ambram excoqueretur; Verum & hæc opinio perquam fabulosa apparet: 1mo) Arbores quam propinquissimè ad mare locatas esse oporteret, si emanans resina in illud destillare ac defluere deberet, 2do) hæ arbores valdè profundas radices agere necesse haberent, ne in tanta propinquitate ab alluentibus perpetim fluctibus convellantur, subfodiantur, aut planè subvertantur & proluantur, 3tio) si singulæ guttulæ vel defluentes exiguæ massulæ in

* In Pandect.

† Alexand. Geraldinus in Itinerario suo ad Pontif. Leon. X. ex Libavio Lib. IV. Singular. C. II. in Scholiis, pag. 320. à Dno Boyle. V. Philosophical Transactions, N° 97. pag. 6113 & *seq.*

mare

mare deciderent ac proluerentur, idque, quod decidit, ſtatim ab aqua circumdaretur, tum conjunctio perquam difficilis, ſi non impoſſibilis redderetur, & penitus incredibile eſt, quod ejuſmodi ſenſim ſenſimque in mare ſtillantes, ſtatim madefactæ & prolutæ lacrymæ unquam ita ſibi occurrere poſſint, ut in tantas moles, quæ, ſi non pondus Centenarii æquant, ſaltem in hujuſmodi ſatis grandes firmaſque maſſas, prout Ambra reperitur, propriô inſtinctû coalituræ, ſe ſeque formaturæ ſint: putatitium aquæ ſalinæ auxilium, digeſtio & excoctio ſolaris in inquieto illo & ſemper frigido mari, ſunt meræ nugæ, 4to) nec rurſus de his arboribus quicquam cognitum eſt, neque nautis, neque Ambræ-piſcatoribus, nec ullis aliis in regionibus iſtis, ubi Ambra reperitur, habitantibus vel peregrinantibus hominibus, quemadmodum etiam notiſſimus ille Georgius Eberhard Rumpffius * hanc opinionem jam ſatis ſuperque refellit, 5to) denique contraria mixtio Ambræ cum oleis expreſſis, ut & cum pluribus aliis, contra hanc hypotheſin, quod ſit Vegetabilis Reſina, apertè militat.

Averrhoes, † Ambram gryſeam eſſe *Speciem Camphoræ*, ait, cum tamen ignoraverit, quid ipſa Camphora ſit, prout quoque inter Camphoram & Ambram, ratione volatilitatis, ſolubilitatis, coloris, odoris, aliarumque proprietatum plurium, tanta intercedit differentia, quanta eſt inter diem & noctem, uti cuicunque hoc ſatis conſtat.

* Valentini Oſt-Indiſche Sendſchreiben ſub N° XI. pag. 56.
† In Colliget. Cap. 56.

Alij e contra perhibent: Ambram provenire *à fructu quodam* * quem Ceti lubenter deglutiant, & ex quo in corpore ipsorum perfecta demum Ambra gryſea generetur, ſed hanc chimæram reſponſione indignam exiſtimo. Quod reſtat de putatitio ejus ex Regno Vegetabili ortu pertinet ad mare, nec continet quippiam probabilis, ſed naturæ proprietatique Ambræ apertè contrariatur.

Ut autem & hæc plenè ad finem perducam, ſtatim potius reliquas, quæ quidem forent, opiniones *de quibuſdam marinis*, nec non reſtantia *Vegetabilia* in medium producam: Julius Cæſar Scaliger & Serapius Ambram *pro ſpecie Fungi* † habuerunt, vel dixerunt, eam naſci in fundo maris adinſtar fungorum, qui tandem ſoluti alta peterent, & ad littora ejicerentur, ſed hæc opinio ſeipſam refutat, quia nullus in toto terrarum orbe reperitur fungus, qui non certam characteriſticam formam ſeu figuram poſideat, quæ tamen circumſtantia tam malè, quam mixtio fungorum, cum Ambra convenit.

Libavius ‖ & Weckerus ** volunt, Ambra gryſeam eſſe *Spumam maris*, ſed hi, ne multas graviores oppoſitiones adducamus, vel hâc ſolâ circumſtantiâ falſitatis arguuntur & convincuntur, quod in plurimis illis locis, in quibus mare omnium vehementiſſime ſpumat, & bullas format, vel ubi ſpuma maris eſt copioſiſſima, nulla plane Ambra reperiatur, quæ tamen, ſi hypotheſis ipſorum vera eſſet, copioſiſſima ibi exiſtere deberet.

* Nic. Monard. de Simplicibus Medicam. Edit. Plantin. Antv. pag. 13.
† Juſti Fidi Klobij Ambræ Hiſtoriæ, pag. 18.
‖ Libr. IV. Singularium, Cap. I.
** Weckerus in ſpeciali Libr. Sect. II. p. 79. item, Sylvaticus in Pandect.

Hierony-

Hieronymus Cardanus *, Ambram *Sperma Ceti* esse perhibet, quantum vero Sperma Ceti ab Ambra gryſea differat, unicuique ſufficienter patet, unde etiam non opus erit, huic aperte falſæ hypotheſi prolixis contrariis argumentis occurrere.

Eichſtadius † & Fragoſus ‖ referunt, Ambram eſſe *jecur* cujuſdam piſcis; verum cuique notum eſt, quod jecur ſuam capſulam ſeu parenchyma habeat, atque ex filamentis venarum & arteriarum conſiſtat, quæ ſingula nullatenus in Ambra reperiuntur, ut taceam, quod hepar deſtillatum longe alia producta fundat, quam quæ ex Ambra per deſtillationem nanciſcimur.

Plurimi, *Regno* ſic dicto *Marino* adhærentes, exiſtimarunt, Ambram gryſeam *ex piſcibus* prodire, hæ tamen opiniones variô rurſus modô ſeſe diviſerunt, quæ vero primò in tres claſſes generales diſtribui poterunt, hæ autem poſtea in varios denuò minores ramulos ſeu ſubdiviſiones diſpeſci deberent, ſi ordine omnes adducere, conſiderare & dijudicare vellemus.

Ut verò parvam tantum hujus rei Ideam jam proponamus, aiunt 1mo) quidam, quod Ambra gryſea planè in piſcibus *generetur*, 2do) alij, & quidem rationi convenientiùs, dicunt, Piſces fluctivagam in Mari Ambram *deglutire*, 3^tiæ^) denique claſſis qui ſunt, nihil poſitivi definiunt, *neutro modo ſeſe habent*, & tantum perhibent, Ambram gryſeam in piſcibus reperiri, interim non memorant, an ea in his piſcibus generetur, vel an ab iis antea deglutiatur? Ex tribus principalioribus hiſce opinionibus poſtea permultæ ſubdiviſiones ortæ ſunt, tam ratione piſ-

* De Subtilitat. pag. 284.
† In Libr. de Conſect. Alkermes, Cap. XII.
‖ In Libr. de Medicam ex India in Europ. delatis Cap. de Ambaro, p. 89.

cium quam deglutitionis & generationis. (*a* Ad pisces quod attinet, quidam asunt: 1.) Ambram tantum in piscibus majoribus, alij autem, 2.) etiam in minoribus, 3.) quidam, eam in omnibus Cetis, (4) alij contra, solùm in certa specie Balænæ reperiri, quanquam & hi rursus (5) in denominatione hujus speciei differant; (*b*) Circa deglutitionem itidem differunt, alij etenim, 1.) Ambra ab omnibus piscibus cum aviditate deglutiri ferunt, alii autem 2.) de unica tantum specie id prædicant; 3.) quidam, pisces exindè mori, alii verò, 4.) nihil ipsis nocere affirmant; 5) nonnulli aiunt, quod deglutita Ambra cito rursus evomatur, 6.) alij vero, quod per alvum deji iatur, 7.) adhuc alij, Ambram non tantum à piscibus, sed ab aliis etiam animalibus comedi & deglutiri contendunt. Et sic quoque (*c*) ratione generationis varia schismata vel diversæ opiniones sunt, tam (1.) Quomodo, quam etiam (2.) ubi generetur? porro (3.) an sit excrementum, vel (4) recrementum? Et quæ ulterius occurrunt discrepantiæ.

Omnes has adeo differentes opiniones ex ordine lustrare non tantum nimis prolixum & supervacuum, sed parvi etiam, nulliusque usus esse existimo, unde solùm principales earum promiscuè attingam, & sic magis magisque ad rem ipsam accedam.

Clarissimus Rumpffius *, cui alias equidem fides adhibetur, præcipuè cum etiam Gabriel Nakke, aliique plures, ea, quæ ipse dixit, confirmarunt, in literis suis ex Insula Amboina ad D. Ten Rhyne datis expresse ait: non tantum *majores Cetos*, sed *minores* etiam *pisces*, item *aves* & *apros* (nonnulli quoque

* Loco citat. Valentini sub N° 8. pag. 50.

vulpes

vulpes nominant) magna cum aviditate proportionata frusta Ambræ gryseæ deglutire, ubi illa capere aut reperire possint, quæ verò postea rursus evomerent, qua occasione hæc simul verba adducit: exinde ortum est, quod non solum in vulgo, sed & in tot autoribus tam variæ opiniones de Ambra disseminatæ sint, dum alius de Cetis, alius de porcis ambriferis scribit aut loquitur, & uterque putat, eam in his animalibus generari, in quibus tamen *fortuitò* tantum reperitur, quippe quæ ipsam antea deglutiverunt.

Ex iis, qui opinionem fovent, Ambram solummodo *in unico pisce* & certa Balænæ specie reperiri, sunt 1.) quidam, qui hunc piscem Azel * appellant, simul perhibentes, quod ille piscis Ambram gryseam avidissime *deglutiat*, exindè vero brevi post ipsi moriendum sit, quem tum piscatores cum industria pervestigarent, 2.) alij hunc piscem Mokos † vocant, unà referentes, quod tres vel quatuor orgyas longitudine exsuperet, in India Orientali degat, & circa Japoniam capiatur, 3.) alij, ex quibus est ille, diu in India Orientiali moratus, D. Andreas Cleyer, piscem hunc vocant Cetum Ambrophagum, sive Ambram vorantem, idemque ejus delineationem olim ad D. quondam Mentzelium huc Berolinum transmisit, qui eam unâ cum Cleyeri relatione Academiæ Naturæ curiosorum Cæsareæ communicavit, à qua hæc omnia Anno VII. Dec. II. suarum Observationum publici juris facta, sunt, 4.) adhuc alij dicunt, quod sit certum genus Cetorum ad Lamias pertinens ‖, rursus

* Gesnerus de Aquatil. & quidem de Cetis diversis Libr. IV. pag. 204.
† Kæmpferi Amœnitat. exotic. Fasciculi III. pag. 635.
‖ Valentini Ost-Indische Sendschreiben, pag. 50.

alij

alij (5. & inter hos, ille in America degens D^ns Paul Dudley, existimant, Ambram gryseam tantùm ac unicè ab ista Balænæ specie, vel ab illo Ceto provenire, qui Sperma Ceti suppeditat.

Multi, qui in opinionibus *neutram partem* eligunt, & quidem dicunt, quod Ambra in piscibus, sed non in certo quodam singulari pisce, verùm communiter in omnibus belluis in genere reperiatur, nec decidūnt controversiam: an Ambra ab iis deglutiatur, vel inibi generetur, in hoc tantum differunt, quod non *unum eundemque locum* Ambræ in pisce designent, nam (1mo alij eorum, & plurimi quidem aiunt, quod Balænæ eam contineant *in stomacho* (2do alii, *in intestinis*; unde ex his rursus quidam surrexerunt dicentes: (*a*) Balænam *evomere* & *per superiora eructare* Ambram, (*b*) alij vero, eam *per alvum, seu laxando* per inferiora ejicere contendunt; interim hæ opiniones universæ *ad unum idemque redeunt*, & in fundamento tacitè concordant, Ambram gryseam scilicet in piscibus non generari, sed ab iis *potius deglutiri*. Siquidem 1.) hoc per se clare patet, sive quid per os, sive per alvum ejiciatur, necesse est *antea in ventriculo fuisse*, 2.) illud, *quod evomitur, certò è ventriculo prodit*, si ergo Ambra, quæ in ventriculo est, per vomitum non eliminatur, sed retinetur, tum facilè secundum viam naturalem ulterius per intestina, & tandem ex his planè exire potest, quæ omnia, sive in ventriculo, sive in intestinis reperiatur, sive evomatur, seu per alvum ejiciatur, neminem in admirationem rapere queunt, nec realem differentiam, sed unam eandemque rem constituunt, 3.) Notum est, quod in ventriculo naturaliter nihil nisi *liquidi succi* sint, & illuc pertingere

pertingere valeant, è contra omne aliud, præcipuè *solidæ & substantiales compactæ materiæ* necessariò per os ingredi, & sic ulterius deglutiri debeant. Si igitur Ambra gryſea revera in ventriculo vel inteſtinis Balænæ reperi ur, quomodo judicioſus homo ſibi imaginari poterit, quod ibi à natura, vel in piſce illo generata fuerit? Nonne potius Naturæ magis conveniens eſt, hanc materiam nullatenus in Animali hoc generatam, ſed utique primum extra hunc piſcem exſtitiſſe, ac poſtea tanquam eſcale quoddam deglutitam fuiſſe? prout etiam *quamplurimi* itidem fide digni Autores, licet in hoc differant, quod alter, Ambram à balænis evomi, alter, per alvum ejici, tertius, in ventriculo reperiri, & quartus, eam in inteſtinis occurrere, dicat, in hac tamen circumſtantia, tanquam in certa & indubia veritate *conveniunt*, Ambram gryſeam à piſcibus *deglutiri, nulloque modo in iis generari.*

Interim antedictæ circumſtantiæ, quod 1.) quidam viderint, quomodo Cetus Ambram evomat, 2.) vel per alvum ejiciat, 3.) vel in mortuis, ſive violenta, ſive naturali morte peremtis Cetis, aut in horum ſtomacho vel inteſtinis quædam Ambra reperta fuerit, ad hanc tamen ſeductionem anſam rurſus præbuerunt, quod multi crediderint, & adhuc credant, præcipuè Incolæ Inſulæ Madagaſcar, item plurimi piſcatores & nautæ, Ambram gryſeam nihil aliud eſſe, quam *Excrementum Belluæ.* Japoneſes eam Ambram, quam in piſcibus reperiunt, vel quæ à piſcibus rurſus ejecta eſt, in ſua lingua vocant Kuſura no fuu, quod ſtercus Balænarum denotare dicitur *.

* Kæmpfer. Loco citat. pag. 635.

D. Joh.

D. Joh. Matth. Faber ait: si Cetus deglutitam Ambram sive vomendo sive laxando rursus ejiciat, tum equidem tolerari posset, si illam vulgus *Excrementum sive stercus Balænæ* appellaret, sed hoc totam rem plane nondum affirmare aut decidere, nec judiciosos viros exindè credituros esse, quod Ambra, quatenus vera, & pro ea accepta, propterea verè Excrementum vel stercus Balænæ sit. Liceat mihi adducere hujus rei exemplum: Mercurius currens, vel globuli Reguli Antimonij, qui aliàs etiam Pilulæ perpetuæ vocantur, per os assumuntur, vicissimque ejiciuntur, tum alius ea iterum per os assumit, & sic Pilulæ benè ablutæ, ac Mercurius currens, decem, viginti, pluribusque hominibus propinari possunt, ex his alius illa mox rursus ejicit, alius autem diutius secum retinet, quinimo tertius fortè ea non planè rejicit, sed cum iis moritur, id quod, ab ingestione Mercurij in passione iliaca sic evenisse ipse vidi, si autem Mercurius vel globuli regulini tandem ab homine vivo denuò ejicerentur, vel in corpore hominis demortui reperirentur, & omne adhuc verus Mercurius vivus, vel Regulus Antimonij esset, quis hominum ideo has res postea *animale quippiam* vocaret, aut pro *animali materia* haberet, quoniam scilicet in corpore humano fuerint? vel quis sana mente præditus hunc Mercurium vivum, aut Regulum Antimonii pro stercore humano æstimaret, vel ejusmodi metallica Subjecta Excrementum humanum appellaret, eam ob causam, quia homo illa per alvum rejecit? ipse profectò mulierculæ eum deriderent, licet assereret, quod hæ materiæ vel à centum hominibus successivè deglutitæ, semperque rursus egestæ, aut etiam per longum satis tempus in corpore humano retentæ

Fig. I.

Fig II


a


1
8
A Scale of Inches.


b
c
c

b

retentæ fuerint Mercurius currens & Regulus Antimonii crudus, quamdiu in metallica sua forma vicissim in conspectum veniunt, propterea nec sunt, nec fiunt animale quicquam, etiamsi à mille animalibus deglutiti, ac per aliquot annos retenti fuissent.

Eadem quoque est ratio circa deglutitionem & insequentem egestionem Ambræ gryseæ: hæc equidem non est ejusmodi metallica materia, qualem Antimonii regulum vel Mercurium vivum videmus, revera tamen est minerale, & nullatenus animale concretum, prout posteà suo loco audiemus, hac vice sequentia tantum adjiciam: Ambra ad minimum, peregrinum, ac in mari natans corpus est, quod pisces cum tanta aviditate, & tanquam delicatum ferculum, fortè ut homines fungos esculentos, tubera terræ escalia, aliaque fungorum genera, deglutiunt, sed itidem indigestum rursus ejiciunt. Quod Ambra piscibus peregrinum quiddam, & apeptus cibus sit, patet *ex plerisque relationibus*, indeque prodeuntibus Scriptis; non equidem prolixè antedictum piscem Azel in fidem adducam, de quo expresse scribunt, quod Ambram lubentissime deglutiat, abinde vero brevi post *moriatur*, sed ad id tantum animum advertam, quod plerique referant, pisces deglutitam Ambram rursus *evomere, vel per alvum rejicere*, & indubiæ veritatis est, quod *perquam rarò* Ambra quædam in piscibus ipsis, adhuc in ventriculo vel intestinis commorans, reperiatur. Monardes alicubi, " verissimum est, inquit, meo tempore in regione " Insularum Canariensium, quas Insulas fortunatas " appellant, in Balæna quadam, vel potius *in ejus* " *intestinis*, centum libras Ambræ repertas fuisse: Pergit autem dicens; " Ab illo tempore *permagnus* balænarum minorum ac majorum *numerus* " necatus est, sed N. B. in nulla earum quicquam hu-

" jus Ambræ repertum fuit *". His addo, quod in multis balænarum centuriis nulla Ambra reperta ſit, nec reperietur, & quod ea, quæ interdum inibi reperitur, *aut brevi antea deglutita, aut caſu fortuito* ibi retenta fuerit, adeoque vel propter molem compactiorem, vel aliud quoddam impedimentum, ſi non propter morbum, per inteſtina tranſire, ſicque exitum ſuum capere nequiverit.

Manet itaque indubitanter firmum & certum, quod Ambra gryſea à variis piſcibus, præprimis autem à balænis 1.) *deglutiatur*, 2.) poſteà *vel evomatur*, 3.) vel *per alvum* excernatur, 4.) vel quoque interdum *in iis retineatur*, & poſt mortem aut *in eorum ventriculo, aut inteſtinis* reperiatur, prout hæ circumſtantiæ non modo ab uno vel duobus, ſed à permultis etiam fide dignis perſonis, ex parte quoque jam à longinquo tempore unanimiter relatæ & confirmatæ ſunt ; ſed ex his plane non concludendum eſt, ac ſi Ambra gryſea in ventriculo & inteſtinis horum piſcium *generetur*, vel eam ob cauſam, quia per aliquot tempus in corpore horum animalium fuit, jam *animale quippiam* facta, vel idcirco *Regno animali* jam *accenſenda* ſit.

Ultima opinio, quæ huc referri poteſt, & quæ multos quoque fui Fautores habuit & adhuc habet, imo per duas, ex America ad Regiam Societatem ante paucos annos, tranſmiſſas Relationes inprimis excitata, & tanquam nova, certa, veraque detectio orbi notificata eſt, in eo conſiſtit, quod Ambra gryſea pro *Recremento Animali*, & quidem pro *Recremento Ceti* reputetur, ſeu pro materia, quæ in Ceto ut ſingulare aliquid generetur, cujus rei analogiſmum adducunt, ſicut Caſtoreum in Caſtore, Moſchus in animali moſchifero, Zibethum in cato zibethino, ſeu Hyæna odorifera, vel Bezoar in capris illud ferentibus, &c.

Continuabitur hæc Diſſertatio in N° *ſeq.*

* Fabr. Lyncei Expoſit. in Anton. Rech. Edit. Roman. pag. 572.

2
2
3
5
5
4
Fig. I.
Fig II
a
a
a
b
b
c
c
1
8
A Scale of Inches.